

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Ovid beschreibt, wie es zur Verwandlung des Cyparissus in einen Baum kam:

Adfuit huic turbae¹ metas² imitata cupressus,
 nunc arbor, puer ante deo dilectus ab illo,
 qui citharam nervis et nervis temperat arcum.
 namque sacer nymphis Carthaea tenentibus arva
 5 ingens cervus erat lateque patentibus altis
 ipse suo capiti praebebat cornibus umbras.
 cornua fulgebant auro, demissaque in armos³
 pendebant tereti gemmata monilia⁴ collo;
 bulla⁵ super frontem parvis argentea loris
 10 vincta movebatur, parilesque ex aere nitebant
 auribus e geminis circum cava tempora bacae⁶.
 isque metu vacuus naturalique pavore
 deposito celebrare domos mulcendaque colla
 quamlibet ignotis manibus praebere solebat.
 15 sed tamen ante alios, Cae pulcherrime gentis,
 gratus erat, Cyparisse, tibi; tu pabula cervum
 ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam,
 tu modo texebas varios per cornua flores,
 nunc eques in tergo residens huc laetus et illuc
 20 mollia purpureis frenabas ora capistris⁷.
 aestus erat mediusque dies, solisque vapore
 concava litorei fervebant bracchia Cancri;
 fessus in herbosa posuit sua corpora terra
 cervus et arborea frigus ducebat ab umbra.
 25 hunc puer imprudens iaculo Cyparissus acuto
 fixit et, ut saevo morientem vulnere vidit,
 velle mori statuit. quae non solacia Phoebus
 dixit et, ut leviter pro materiaque doleret,
 admonuit! gemit ille tamen munusque supremum
 30 hoc petit a superis, ut tempore lugeat omni.
 iamque per inmensos egesto sanguine fletus
 in viridem verti coeperunt membra colorem,
 et modo qui nivea pendebant fronte capilli
 horrida caesaries⁸ fieri, sumptoque rigore
 35 sidereum gracili spectare cacumine caelum.
 ingemuit tristisque deus 'lugebere nobis
 lugebisque alios aderisque dolentibus' inquit.

¹ turba: gemeint ist eine Gruppe von verschiedenen Bäumen

² meta – hier: Kegel

³ armus – Flanke

⁴ monile, is n. – Halsband

⁵ bulla – hier: Amulett

⁶ baca – Perle

⁷ capistrum – Halfter

⁸ caesaries – Mähne